

SESSION 1982

AGRÉGATION
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

Dans cette page du Panégyrique de Constantin, le panégyriste, s'adressant d'abord à Constantin, célèbre sa victoire sur Maxence, au pont Mulvius, en 312.

Ad primum igitur adspectum maiestatis tuae ptimumque impetum toties tui uictoris exercitus hostes territi fugatique et angustiis Muluui pontis exclusi, exceptis latrocinu illius primis auctoribus qui desperata uenia locum quem pugnae sumpserant texere corporibus, ceteri omnes in fluuium abiere praecipites, ut tandem aliquod caedis compendium fessis tuorum dexteris eueniret. Cum impios Tiberis hausisset, ipsum etiam illum cum equo et armis insignibus frustra conatum per abrupta ripae ulterioris euadere idem Tiberis correptum gurgite deuorauit, ne tam deforme prodigium uel hanc obitus sui relinqueret famam quod alicuius uiri fortis gladio teloue cecidisset. Et aliorum quidem hostium corpora et arma praeceps fluuius uoluendo deuexit, illum autem eodem quo exstinxerat loco tenuit, ne diu populus Romanus dubitaret, si putaretur aliquo profugisse cuius mortis probatio quaeretur.

Sancte Thybri, quondam hospitis monitor Aeneae, mox Romuli conseruator expositi tu nec falsum Romulum diu uiuere nec parricidam urbis passus es enatare. Tu Romae tuae altor copiis subuehendis, tu munitor moenibus ambiendis, merito Constantini uictoriae particeps esse uoluisti, ut ille hostem in te propelleret, tu necares. Neque enim semper es rapidus et torrens, sed pro temporum ratione moderatus. Tu quietus armatum Coclitem reuexisti, tibi se placido Cloelia nirgo commisit : at nunc uiolentus et turbidus hostem rei publicae sorbuisti et, ne tuum lateret obsequium, eructato cadauere prodidisti. Reperto igitur et trucidato corpore uniuersus in gaudia et uindictam populus Romanus exarsit nec desitum tota urbe, qua suffixum hasta ferebatur, caput illud piaculare foedari, cum interim, ut sunt ioci triumphales, rideretur gestantis injuria, cum alieni capitis merita pateretur.

Panégyrique de Constantin, auteur anonyme (313).